



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Caroli Scribani è Societate Iesv Philosophvs Christianvs**

**Scribanius, Carolus**

**Neobvrgi. Ad Danubium, 1618**

Capvt I. Finis. Ad quem à Deo creatus homo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46524](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46524)

CAROLI  
SCRIBANI  
E SOCIETATE  
IESV  
PHILOSOPHVS  
CHRISTIANVS.

CAPVT I.

FINIS, cui à Deo conditi. Nam  
quidquid hic est, fini destinatus  
campus est. sequentur premia,  
& clamat è specula conditor cui nati.  
Facilis iactura periturorum est. Ig-  
nauus his pascitur. excelsior animus,  
& qui res sibi, non se rebus metitur,  
àternis gaudet. cogitat originis suæ  
locum, & se caelestibus parem, peritu-  
ris maiorem. Hanc mentem vera  
Philosophia imbutam, indignantem  
premi morituris, generosioreque cal-  
catu spernentem abitura, assidua ha-  
rum meditatio dabit.

A

QVVD



VID perituris immo-  
 raris anima, solaque  
 vanitate grauidis men-  
 tem pascis? maiores  
 quam vt tam inanibus  
 distendaris. viliora hæc sunt quam  
 vt tam nobili comisceantur. quid  
 ad externa circumfers oculos, &  
 admiratione tangeris rerum fors  
 cras, fors hodie, adeoque hæc ho-  
 ra & momento eripiendarum? in-  
 digna generi tuo sunt, & celo cui  
 natus. quid auri fulgore, argenti  
 nitore, eboris candore perstringe-  
 ris? sordent hæc omnia cui animus  
 origini suæ Deo confunctus est.  
 quid statuas miraris incudibus,  
 malleis, fornace & ignibus natas,  
 e variatarum antèrupium crustis  
 aut Aethiopicis scopulis mendica-  
 catas, defrustratas? quid

*Distinctum vario nitore marmoris  
 Quod sub versicoloribus figuris  
 maculosa oculos hebetat superfi-  
 cie? horæ momentum intercurrit  
 inter hæc stantia & cadentia, inter*

supe  
 loni  
 nere  
 cum  
 moll  
 faxis  
 terra  
 salie  
 crisp  
 tia?  
 tanti  
 que  
 resq  
 nigia  
 tantu  
 nari  
 bus p  
 & far  
 bili p  
 agro  
 cua d  
 in vi  
 mon  
 earie  
 vuer  
 frequ

superbas ceruices inuidiam Baby-  
lonico vertici facturas, & vilem ci-  
nerem flamma lambente deco-  
rum. Quid fontes suo an alieno  
molliter labentes, aut præcipitibus  
faxis salebratos, & exinde post sub-  
terraneam deliquationem purius  
salientes? quid flumina & maria  
crispis torosisque erroribus luden-  
tia? quid fluctus irasque suas mini-  
tanti murmure aggerum arenarū-  
que repercussu bibentes, sorben-  
tesque? momento quo lusere na-  
uigia loco sorbentur, nec in assueti  
tantum irarumque fraudumque; ig-  
nari, sed quibus cum discrimini-  
bus pelagi non notitia modò, sed  
& familiaritas intercessit, in enata-  
bili profundo deuoluuntur. Quid  
agros in nemora diffusos, in pas-  
cua distentos, in hortos picturatos,  
in uineta & oliueta luxuriantes, in  
montes, colles, valles, prodigiosa  
eaietate collucentes? momentam  
uertendis satis est, & ubi se olim  
frequentia suffocabat, solitudo est:  
A 2 ubi

vbi hortorum nemorumq; in mu-  
 tuam æmulationem arte naturaq;  
 proludete ingens gloria fuit, ser-  
 peus ager & inhospita terra est  
 nullo vomere aut sarculo scinden-  
 da: & quæ retro supra Palæstinam  
 fœcunda, supra nivosos Alpium  
 vertices sterilefcit. Quid de serpen-  
 tum frontibus, de Indico ac Ae-  
 thiopico mari aut fluminibus, de  
 pisciũ cerebris verrucas pro gem-  
 mis piscatas admiraris? naufraga  
 videlicet sine his venustas negle-  
 craque iacebat. Adminicula ab hi-  
 petenda erant, vt fieret vir gladi-  
 mulieri, viro mulier. Quid myrte  
 & illustriore quaque fronde, rose  
 liliis, lauro, violis ornatum verti-  
 cem amplecteris? serua caput inta-  
 minatum. Christus illud cum vo-  
 let, coronabit in celestibus. Et qui  
 florib. coronaris, qui spinis nõ po-  
 tes? aut ignoras Christum non ante  
 immortalitatis corona donatum  
 quàm in Pilati pratorio spinis co-  
 ronatus fuit? & non ante glori-

Rege

Regē  
 quā  
 scrip  
 faler  
 glaci  
 lo? su  
 quæ  
 ta cir  
 lacry  
 pum  
 aut a  
 miga  
 mut  
 purp  
 sola  
 quæ  
 quoc  
 nam  
 nari  
 nau  
 enau  
 seip  
 imp  
 de q  
 mne  
 tur,

Regem in caelestibus salutatum,  
quàm Rex Iudæorum in cruce pro-  
scriptus esset? quid gemmas amas  
falerno spumantes? quid niues  
glaciei que æstiva natantes crystal-  
lo? suavius bibitur siti provocante,  
quæ contenta sedari est. quid suffi-  
ta cinnamomo, thure, aut Arabiæ  
lacrymis sparsa? quid myrrhas,  
pumicatas, malobathratas vestes,  
aut alicuius bestię recrementis fu-  
migatas? pudeat ornatum ab illis  
mutuari domesticis diues. Quid  
purpura gloriaris & maioribus?  
solâ virtute distinguimur. pari nâ-  
que sorte nascimur, pari cadimus;  
quod intercurrit vix comœdiæ sce-  
nam implet. Quid voluptates ve-  
naris magno luêdas? surdis auribus  
naufragos hos Sirenum scerpulos  
enauga: & Apostolum omnis ex  
seipso pudicitie magistrū, omnisq;  
impuritatē execratorem lege: vi-  
de quàm validè pro pudicitia in o-  
mnem libidinis lasciuiam iacule-  
tur, quantaque securi vniuersam

voluptatis siluam cedat & excu-  
 dit. cogita denique, quantam  
 pœnitentiam hæc tēnis delibatio,  
 hæc verecundię auocatio, hæc oeu-  
 li de sanctimonix tenore decessio,  
 excipiat, partem in ignis, & sulphu-  
 ris stagno. tam carè luitur volati-  
 cum gaudium, tam labili parantur  
 æternæ flammæ. Quid carnem &  
 domesticū hostē accensas? nulla ad  
 libidinē vis est nisi ipsa nescit quod  
 libet, cogi; nec quisquam no-  
 lens fornicatur. te ipsum accusa  
 qui huic gurgiti manum tradis. ad  
 preces & medicantia suspiria te  
 conuerte, sin insurgat acrior hostis:  
 ad ieiunia & flagra, ad cor contri-  
 tum & cinere sordidatum te verte.  
 Circumstagnēt stratum lacrymæ,  
 integat saccus, & de cilicio asperior  
 decumbat culcita. Nescit ferocire  
 fame enecta caro, nudaque humo  
 & duro illisa saxo, verbereque las-  
 fata & domita, & tamquam vo-  
 mere proscissa & subacta. Quid o-  
 pes cogitationibus metris? magno-  
 viatico breue hocq̄ter nō instruitur

sed o-  
 deris  
 Qu  
 sum i  
 ra gen  
 sis tui  
 circu  
 lum l  
 comp  
 inger  
 lium  
 supra  
 strucl  
 Deo  
 tem,  
 illius  
 pore  
 cius.  
 omni  
 tum,  
 ptuse  
 bert  
 conf  
 ditat  
 di, c  
 cogi

sed oneratur. & vt omnia possederis, quid comitabitur abeuntē?

Quid corpus denique vniuersum intueris? maior es & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sis tui corporis, quod non aliter circumspiciendum quàm vinculum libertati circumdatum, quàm compedes animæ iniectæ, quàm ingentis spiritus carcer, quàm exilium celo nati. Erige te proinde supra hanc carnem & ossa, & substruam sanietem. Cùm visum fuerit Deo, distrahes cum hac Societatem, redibis ad eandem imperio illius. hoc tamen quo sociaris tempore, non sis equarum partium socius. animus ad se ius omne trahat, omne dicat. Vis verum dominatum, veram libertatem? contemptus corporis certa ac propè sola libertas est. Hinc libertati plurimum confert originis suæ finisque meditatio: simulque in apertum prodi, optimaque tui parte meliora cogita. in mundi artificem aciem



sonnerte: qua ratione tantam mole in legem & ordinem digesse- rit, sparsa collegerit, confusa distinxerit, corpus quo cingeris figu- lauerit, animam infuderit, inspi- rauerit.

Quid viuis capite dimisso? ce- lum teque adeo ipsam anima intu- ere & cui condita, scies qua sis, quantumque & cui debeas. Ope- voluptas, honores condiderunt? illis te debes. delicia, mensa, pocula, risus, ioci, diademata, tiara, pur- pura te condidit? sequere condito- res, ingratus, si non sequeris. nam quid non debes conditori? quod olla figulo, quod naus fabro, quod conflatori vitrum, ac maiora etiam conditori debes: qui non aliunde, vt illi, mutuatus materiam est, qua- si aliquid debeas materia: omnia illi debes, a quo vno habes quid quid habes. illius ergo nutui pare, obsequere imperijs. reliquorum iussa nouercalia sunt. & non libe- rum te condidit? quid libertatem obstrin-

ob  
lib  
did  
ma  
tor  
no  
figu  
ris p  
ad  
tuo  
aur  
gen  
tas?  
tu p  
ille  
mul  
mul  
tori  
te d  
qui  
spol  
indu  
que  
erig  
rato  
xter

obstringis seruitio alieno? frueret  
libertate quâ te donauit qui te cō-  
didit. summa donauit. utere sum-  
ma, nulli obstrictus quàm condi-  
tori. & indignum generi tuo, alie-  
no te teneri obsequio nobilissimi  
figuli vas nobile, primi condito-  
ris primum opus es, quid te abijcis  
ad inhonora, & indigna generi  
tuo? quis adamantem vimini, quis  
aurū Ierquilinio credidit? at quid  
gemma & aurum, si te ipsum cogi-  
tas? pars illa sunt ignobilis terre.  
tu pars magna magni conditoris.  
ille terram, & quidquid in illa, fa-  
mulam creauit tibi. quid ergo fa-  
mularis famulæ degener condi-  
toris? quid seruis domina? purpura  
te donauit, diademate, sceptro,  
qui te condidit, Rex pater. quid te  
spolias concessis, ut mancipium  
induas? memento generis. ac si  
quæ te tangit gloria tanti patris,  
erigere ad maiora, & digna impe-  
ratorio patre sceptrâ te manent  
æterna, quid circumfers oculos ad

Peritura? purpura te spectat calor-  
 rum prima, quid vili tegeris sago?  
 regna te vocant calororum nobilif-  
 sima, quid circumspicis casas por-  
 corum haras? imperia te expectant  
 patris, quid pistrinū cogitas, tran-  
 stra & remos? quousque siliquis  
 pascis ventrem, regia dignis men-  
 sa? quid thalamum meditaris ser-  
 ne bis captæ, regio pognatus toro?  
 patrem & conditorem cogita celo-  
 rum regem. illi seruire, regnare,  
 illi famulare, imperare est. reliqua  
 omnis seruitus infra genus tuum  
 est, infra mancipium latrinarum  
 est. tolle te anima ad calorū maxi-  
 ma, ad quæ te condidit Rex pater.  
 contemne has opes, honores, vo-  
 luptates terrarum vile pabulum.  
 sed & odisse debes, quæ te patria  
 exuunt hereditate, regno, diade-  
 mate, sceptro, purpura. protere  
 pedibus, constringe loris, doma  
 & frange verbera, ne serius indo-  
 leas manicas & compedes & du-  
 ram seruitutem, ne serius inclames,  
 & non

& non--profutura spargas lamen-  
ta. quid enim proderit capillorum  
& barbæ vulsio, quid pugnis genæ  
liuentes, quid dorsum flagris, quid  
inediâ niacerata adeoque enecta  
caro, quid rugitus & fletus, & alta  
suspiria, sub seuo immitis doming  
& nulla prece pacandæ imperio?  
antè deuit. antè seruitutem pati  
docenda fuerat caro, dedocenda  
imperare. antè honores, opes, vo-  
luptates famulatum docendæ, im-  
periū dedocendæ fuerant. neque  
enim hæc imperijs condita, sed  
mancipatui sunt. parère discant &  
imperia ferre quæ seruituti nata,  
imperent qui imperio nati. non  
recedamus ab hac lege æterna, re-  
gula est falli nescia, ad cuius nor-  
mam flectenda reliqua. nec errare  
possumus si hanc sequamur ducē,  
reliquus omnis ducatus de fallacia  
est, mēitur libertatē, ad seruitia te  
vocat & dura imperia cōtēne. vin-  
ces, si contempseris: peristi, si ob-  
secutus fueris. quantumque rece-

dis ab hac regula, tantum recedis  
 à magno vero. Quantum verò ac-  
 cedis ad illas mètitę libertatis pol-  
 licitationes, tantum ipsi accedis  
 mendacio. cui qui se credit, quid  
 exspectet solidę rei? imò, quis illo  
 hostis nocentior, quis fallere do-  
 ctior, quis circumuenire peritior?  
 & tu te credes hosti, credes armato  
 inermis? sanguinem sitienti, vitę  
 insidianti, & sola morte, & morte  
 æterna saturando? accipitri colū-  
 bam, ouem lupo, gallinam vulpi  
 quis prudens credidit? virginem  
 lenoni quis commisit, & recepit  
 virginem? castam lupanari qui  
 tradidit, castam reperit? adolescē-  
 tem qui verecundia etiamnum in-  
 tegra in triremes coniecit, post fla-  
 gra & socios & sęua vincula repe-  
 ritne erubescens, & ad non-ca-  
 sta verba rubore plenum? eadem  
 à mendacio spera. quantum credi-  
 disti, tantum perdidisti. totum te  
 credidisti, totus periisti. nec pos-  
 sunt simul stabulare veritas & mē-  
 dacium.

dacium. nec vna anima aduersan-  
tia imperia, & pugnantes patitur  
dominos. vni te addicas necessum  
est, & vni tantum. nesciunt enim  
sociū hęc imperia, sed nec admit-  
tunt comparem. in cuiuscunque  
proinde verba iuraueris, alterum  
hostem cogita. mendacio te ob-  
strinxisti? inimicus factus es veri-  
tati, conditori, Domino, Regi, pa-  
renti, & iuratus hostis. huic si te  
addixeris, hostis factus es menda-  
cio, opibus, honoribus, volupta-  
tibus hostis. Vtrumque in tua ma-  
nu est. vide cuius te tuaque auspi-  
ciis & fidei tradas, cuius signa mi-  
les sequaris.

Antequam tamen te cuiuscquam  
sacramento addicas, vide cui plu-  
ra debeas, aut si fors alteri omnia  
debeas. Si omnia debes, quo iure  
te tuaque transfers in non domi-  
num? aut qua fronte creditorem  
dominumque fraudas suo, & de  
alieno liberalis donationes insti-  
tuas? Non est viri ad equitatem cō-

A 7      positi

positi aliena erogare. latronis est,  
 & qui pudorem exuit cum consci-  
 entia; furis est, & alieni possesso-  
 ris, qui munificus plurimum de ra-  
 pina, liberalis de furto est. de tuo  
 ut largus sis, nemo vetat. de alieno  
 qui potes? nunc serio discute, si  
 quid possideas tuum, si quid non  
 alienum. tua si possides, tua lar-  
 gire; aliena si possides, redde do-  
 mino rem tibi creditam. nam quae  
 haec impudentia negare domino  
 sua? Hic vide an aliquem reperias  
 cui omnia debes. conditori Deo  
 non omnia debes? non ab illo pre-  
 cario possides quidquid possides?  
 imò non solo questorio possides  
 iure, quaecunque possides, ratione  
 redditurus rei commissae? quis vil-  
 licus domini agrum arrogavit sibi?  
 sed & propiore etiam titulo quid-  
 quid habes possidet qui te condi-  
 dit. vindicatio nimirum iure,  
 cum è dira servitute, & non iam te  
 ultra tuum in libertatem vendica-  
 rit potenti dextera, iusto aduersa-

rium

riū bello prosequutus, iusto victo-  
ria potitus, qua te suum fecit iusti  
belli prædani iustam illius ergo es  
qui te iusto bello fecit suum. volū-  
tario tu mancipatu libertatem ti-  
bi à conditore concessam vendi-  
deras hosti, & tenebaris vinculis  
vltro ex venditionis, seruus factus  
cui imperare debebas. tuus ergo  
iam non eras, in alienā enim pos-  
sessionem iusque concesseras spō-  
tanea traditione. ex hac quicunq;  
re eripuit, dominus tibi factus est.  
& victores, omnium sententia, in  
visti iura succedunt. Victoris ergo  
es, & potiori iure quā prioris  
domini; qui te fraude plectum  
& dolis malis, mentite libertatis  
spe in seruitutem duxerat omniū  
infelicissimā. at victor tuus iusto te  
bello fecit suū. quid igitur te sub-  
trahis obsequio illius? quid veterē  
famulatum cogitas, Aegypti ollas,  
alia & capas? indignus vindicta,  
libertate, munificentia es, si vete-  
rem meditaris seruitutem. Quid,  
quod



quodd emptionis titulo factus sit  
 Domini qui te emit? nec vllus hic  
 retractui locus. sin pergis vrgere,  
 redde pretium quod pro te pendit  
 qui te emit. si non potes, quid fa-  
 tuo conatu iura inclamas, vis rem  
 alienam sine pretio, aut vis aliena  
 possessionem gratuito concedi?  
 non vult exui possessione sua em-  
 ptor. quis coget inuitum? Iezabelis  
 hęc imperia sunt. vindicantes ten-  
 tiant canes. denique pretium red-  
 de, & tuus eris. quid reddes? nu-  
 dum te emit. quid pendere nudus  
 potes? & intuere pretium quod  
 nullo compensari pretio potest.  
 infiniti enim pretij pretium fuit  
 quo te emit, qui te emit. neque e-  
 nim corruptibilibus auro, vel argē-  
 to redempti sumus, sed pretioso san-  
 guine quasi Agni immaculati, Chri-  
 sti, & incōtaminati. Sanguine ergo  
 empti sumus, sanguinē reddamus.  
 At quē dabis? alienū? de alieno vē-  
 dicare tuanō potes. tuū? quid habes  
 tuum qui totus emptoris es? & vt  
 aliquid

1. Pet. 1.

aliquid habeas tuū, quæ compara-  
tio finiti ad infinitum? q̄ sanguinis  
tui, & Christi, Domini, Regis, con-  
ditoris, & Dei tui? frustra ergo de  
retractatione cogitas impar nume-  
rati pretij, cumque triplici titulo  
illius sis, Conditoris, Victoris, Emp-  
toris, cur non totum te obsequio  
illius mancipas, cuius tot nomini-  
bus totus es?

Quid honorum & opum, du-  
ra te seruitute obstringis? quod tu-  
um est obstringe te ipsum non po-  
tes, neque enim tuus es. nec qui te  
condidit, auro te, sed sibi condi-  
dit. illi famulare, & illi soli, à quo  
solo habes quidquid habes, nec  
deerunt thesauri, *qui non vetera-* Luc. 12.  
*scunt, non deficientes in cælis: quò*  
*fur non appropriat: neque tinea cor-*  
*rumpit.* Neque condidit te vt ho-  
noribus seruire. sibi te condidit  
illum sequere. ab hoc dignitates  
spera semper victuras, nunquam  
merituras.

Non condidit, vt mundi te vo-  
lupta-

Inaptatibus dares. conditorem imi-  
tare. nulla voluptas celestium a-  
mori componenda. Et illa volup-  
tas solida & vera est, quæque sola  
voluptatis nomen meretur, cum  
liquefcit anima conditori suo im-  
plexa. dulces amplexus, grata ba-  
fia, optati nexus, *super mel & fa-  
vum* & quidquid amabile! *Oscule-  
tur me osculo oris sui. quia meliora  
sunt vbera tua vino, fragrantia un-  
guentis optimis. Et Fasciculus myr-  
rha dilectus meus mihi inter vbera  
commorabitur, anima enim mea li-  
quefacta est ut locutus est. nec iam  
ultra mea, sed illius est cum rapitur  
non iam sua. hinc ille raptus vsq;  
ad tertium celum cum audit arcana  
verba quæ non licet homini loqui ex-  
inde iam ex Saulo feroci persecu-  
tore, Paullus vas electionis, ut por-  
tet nomen Domini coram gentibus  
& Regibus, & filiis Israel. Cælo di-  
gna voluptas, cum saucia procum-  
bit anima confixa iaculis amoris  
manu non iam sua, sed vulnerato-*

Cant. 1.

2. Cor. 12

Act. 9.

gis

ris sui. vt in clamare possit, vulne- Cant. 4.  
*rasti cor meū in vno oculorū tuorum:*  
 cum iacet languida, amico languo-  
 re, nullius nisi amati reuocanda  
 manibus; & audet, *Fulcite me flo- Cant. 2.*  
*ribus, stipate me malis, quia amore*  
*languet.* cum voluitur ebria, vino  
 illius madida, qui in cellaria sua, in  
 cellam vinariam introducit & pro- Cāt. 1. 2.  
 nocat amantes, *Comedite amici &*  
*bibite & inebriamini carissimi.* Ma-  
 debat hoc vino quæ cantabat, *Bo-*  
*trus Cypri dilectus meus mihi, dedit Cant. 17*  
*michi poculum ex vino condito, & mu-*  
*stum malorum granatorum,* mada-  
 bat & illa quæ videbat amantem,  
 & putabat hortulanā, parata me- Cant. 8  
 dios ire in hostes, & humeris ama-  
 tum deferre è prætorio Præsidis, è  
 militari custodia. Sed & illa felix  
 voluptas est, eum cæca quiescit ani-  
 ma luminibus capta. cepit amatus  
 & amica lumina inoculauit suis.  
 felices oculi qui nihil vident extra  
 amatum, quem quærunt *per vicos*  
 & *plateas,* nec dimittunt postquā  
 in-

- innenerunt: cumque vite huius fa-  
**Phil. 1.** stidio in clamat, *Cupio dissolui &*  
*esse cum Christo;* moriturque & de-  
 ponit amicam animam in amati  
 sinum, & amico condit pectori.  
 Mors beata, & qualem optem huic  
 animæ? quid te delectat viuere vi-  
 ta hac misera? potes amati. ô viua  
**Gal. 2.** iam non ego, viuat verò in me *Chri-*  
*stus.* moriebatur hac morte cuius  
**Phil. 1.** hæc verba, *Mihi viuere Christus est,*  
*& mori lucrum.* moriebatur ille  
**Luc. 2.** cuius cygnea hæc vox, *Nunc dimi-*  
*te seruum tuum Domine secundum*  
*verbum tuum in pace, quia viderunt*  
*oculi mei salutare tuum.* Illa deniq;  
 mille votis optanda voluptas est,  
 qua amoris magnitudine tanquã  
 Oceano immerfa natat anima,  
 hauritque plenis faucibus amoris  
 elementum, quo tanquam mente  
 iam alienata, furenti que, quã sa-  
 pienti propior, vix verborum ac  
 ne cogitationum suarum conscia,  
 nihil præter imo nata pectore su-  
 spiria, & nullo connexa vinculo  
 iacu-

iaculatur vota; exulant hinc orationis illecebræ, dictionis fucus, & quęcunque verborum amœnior contesseratio; rustica hic omnis eloquentia est, & tanquam profcissa vomere, aut rastris malè adnexa. Hæ sunt voluptates amatis animæ, quarum minima tam longè distat ab omni voluptate humana, quantum ab homine Deus. cuius etiam opes & honores si cum sæculi huius componantur, maiore se iunguntur interuallo, quam ab Oceano stillicidium situle, quam lucernarum infima à sole maximo.

Deo ergo conditori tuo, cui soli cõditus es, te totum consecra. Neque enim ad aurum & voluptates & sæculi magna te condidit Dominus, sed sibi & sibi soli, sibi vendicavit, emit sibi. cui quantã vitę tuę partem tribuas, seriò considera. mediam, quartam, decimã, an vicesimam? quantum impendis, tantum amas. impendisse enim amasse est, erogationis enim causa

caussa amor est. metire. non potes  
errare. tantum obsequij, quantum  
amoris; quantumque amoris, ob-  
sequij tantum est. nam vt verbo  
dicaste amare, re neges, quid nisi  
teipsum fallis? sanè conditorem  
non fallis, qui obsequio metitur  
affectum. etiam prudentissimus  
quisque tantum fidei verbis adhi-  
bet, quantum videt operis. verbo-  
rum pondera res sunt. hæc si tollis,  
verbaque das solitaria rebus vi-  
dua, quid nisi infantie das bullas,  
nudaque re cymbala?

Ex his scire potes quantum de-  
beas, qui tot nominibus omnia  
debes. potes scire quantum tribuas,  
si affectum, si res, si tempora cogi-  
tas: potes ex eadem regula scire  
quantum ames, cum videris quan-  
tum tribuas, quemque ardentius a-  
mes, cum videris in quem plus stu-  
dij, sudoris, laboris, temporis, ob-  
sequij impendas. potes denique  
intelligere à quo premia speranda  
tibi. Affectus operisque merces  
premia

præmia sunt. aduersantibus verò  
seruire, veritati & mendacio, luci  
& tenebris, vindici & raptori, ser-  
uitutis & libertatis tuę domino,  
impossibile. *Nemo potest duobus  
dominis seruire: aut enim vnum odio  
habebit, & alterum diliget: aut v-*  
*num sustinebit & alterum contemnet.*  
*Non potestis Deo seruire & mammo-*  
*ne. atque hinc olim illæ voces: V-*  
*quequo claudicatis in duas partes?*  
*si Dominus est Deus, sequimini eum;*  
*si autem Baal, sequimini illum. Ha-*  
*bes Deum emulantem, Deus est*  
*emulator, non fert rivalē; habes*  
*zelantem, Dominus zelotes nomen*  
*eius Et, Zelatus est Dominus terram*  
*suam. Et, Ego sum Dominus Deus*  
*tuus fortis Zelotes, cui omnis ali-*  
*orsum oculus de maligno est. quid*  
*dimidias obsequia? audi querentē.*  
*Vtinā frigidus esses aut calidus, sed*  
*quia tepidus es, & nec frigidus, nec ca-*  
*lidus, incipiā te euomere ex ore meo.*  
*tepidū detestatur, in quo dimidiati*  
*obsequij exēplar lucet. calidū vult*

Matth 6.

3 Reg 18.

Exod 24

1oel. 22

Exod 10.

Apoc. 3.

EX-



ex solido nimirum suum : neque enim dimidiari obsequio vult Deus. aut sanè frigidum, conditori suo frigidum, vt qui totum se transtulerit in obsequiū alienum. medium tepidum, nec vnus nec alterius obsequio mancipatum, abominatur vt vomitum. Neque tamen frigidum illum amat, sed quòd ille facilius se totum flectat ad conditoris sui obsequia. Zelo enim quodam in alienum famulatum fertur, totumque se suaque in illius obsequia effundit; qui si edoctus errorem agnouerit, pari quoque alienum, ardore conditorem amplectetur, totumque se sacrabit Deo qui antè mammonæ. At ille tepidus, cū nullo aut solo medio tangatur zelo, medio concaleat & stū, hæret medius, nec vni se vtriusquam aut alteri parti dicat. neutri amicus, vtrique suspectus, quia neutri fidus. cū vera stare fides non possit in tam pugnantibus obsequiis.

Intueat

Intueamur dehinc præmia v-  
triusque seruitutis. momentanea  
huius sæculi, æterna conditoris  
sunt. quàm dispar militia, in qua  
temporaria & æterna stipendia?  
quàm infelix sæculum, quod vt  
momentum præmiet, æternum  
cruciat? quàm dolo plenum, cum  
dubio plurimum euentu ludat a-  
mantes, & è multis millibus vix  
vnum alterumue amplectatur, què  
ad sperata prouehat; prouectos-  
que in ipso limine destituat, quasi  
ad hoc prouexerit, vt altiori præ-  
cipitio locus esset? quàm fortuna-  
ta conditoris præmiatio, quæ mo-  
mento manum retrahit, parca hic  
donorum, vt largâ æternum præ-  
mia profundat dexterâ; quæque  
certo latoque euentu amatorem  
omnem donat voto maioribus.  
Vtrumque serius scrutator cogita:  
Maturam deliberatiorem æterna  
poscunt. Non sunt hæc summis di-  
gitis, ac quasi per capillum, tan-  
genda, introspectienda singula, nec

B nudis

nudis sponſionibus fides admo-  
uenda. cogita pendere ab hoc de-  
lectu vtramque æternitatem, felicē  
infelicē. non ſunt pilæ, aut infantiz  
nuges, nec quæ redhaberi ſemel  
amiſſa poſſunt de æternitate ob-  
ſequij huius omnis delectus eſt. ne  
fide promiſſis incomitatis, ne  
blandientibus crede genis, non  
ori aut oculis ſuaue ridentibus, lu-  
dentibus. fella latent ſub hoc fa-  
uo. ceruſſatæ genæ meretricem ſu-  
am loquuntur: frons ſtibus diſten-  
ta lenonem ſapit. micantes oculi  
ac multa promittentes altas cogi-  
tationes fouent, & alioſum velie-  
ficantes: neque ſemper riſiſſe pro-  
batum prudentibus. res ama, res  
cogita. rebus præmia & ſperata  
metire, & ſecurè te dabis partium  
alteri. res deinde rebus compara-  
nucleum nucleo. corticem con-  
temne. ſi ambit ſaccarum ignobi-  
lis canna, ſi venena continet flo-  
amœnior, quid canna & flore ren-  
meti

me  
ve  
eq  
an  
&  
de  
fec  
tor  
riu  
nu  
gat  
aut  
an  
lio  
dar  
riu  
tue  
im  
tan  
ties  
ind  
Tib  
ter  
ign  
no  
po

metiris? in latentia componē. Si  
vestit porcam purpura regia, si  
equum nobilem vile stramentum;  
an stramine & purpura de porca  
& equo statues? si virgo paupere  
decumbit strato, si toro meretrix  
fedet aureo, an castitatem metieris  
toro? Cincinnatum ab aratro, Cu-  
rium à leni foculo, Fabricium à te-  
nui mensa iudicas? à fistilibus A-  
gathoclen, à ligonibus Marium?  
aut plebeias contemnis Deciorum  
animas? nimirum magnus tibi He-  
liogabalus, magnus Caligula, Sar-  
danapalus, Phisico, Dionysius, Da-  
rius magnus. quid de Socrate sta-  
tues, Epicteto, Platone, Scauola?  
imò vt nostra, certiora & maiora  
tangamus, quid de Laurentio sen-  
tias in craticula ridente? quid de  
indignante vinci Decio? quid de  
Tiburtio prunas calcante? quid in-  
ter ora leonum de magnanimo  
Ignatio? inter verbera de Valeria-  
no, inter flammās de Polycar-  
po, in equuleo de Vincentio

B 2 inter,

inter sagittas de Sebastiano, inter  
 leones de Ianuario, inter plumbas  
 de Gordiano, inter scorpiones  
 de Basilide, inter liquatum plum-  
 bum de Feliciano, inter clauos de  
 Marcelliano, inter secures de Pro-  
 thasio, inter fluctus de Nazario?  
 etiam virgines tormenta rident  
 minis que pœnisq; superiores, tre-  
 pidante carnifice, ceruice stant in-  
 domita, quasi in aliena pelle saui-  
 rent vngulæ, cruces, enses, clauis,  
 flamme. Aut cuius tu sortem de-  
 ligas, Petri an Neronis, Laurentij  
 an Decij, Ignatij an Traiani, Poly-  
 carpi an Antonini, Sebastiani an  
 Diocletiani, Tiburtij an Severij,  
 Vincentij an Daciani, Gervasij an  
 Anastasij, Nazarij an Anolini, So-  
 teris, Susannæ, Agnetis an Maxi-  
 miani, Agathæ an Quintiani, Ce-  
 ciliæ an Almachij, Domitillæ, Eu-  
 phrosinæ, Theodoræ an Domitia-  
 ni, Christinæ an Iuliani, Priscæ an  
 Claudij, Lucinæ an Paschasij, Catha-  
 rinæ an Maximini? imò cuius no-

Regi

Regis aut Imperatoris, exitum præferas Paulli, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci? cur non sequeris vitam, quorum probas exitum & coronam? audi ex his vnū,

*Quid queris? vino, & regno, simul ista reliqui,*

*Quæ vos ad calum effertis rumare secundo.*

Imitare, si regnare dulce. An si delectus hic detur, vitamne anteferas Constantis, Iuliani, Valentis, Maximi, Copronymi, Commodi, Eudoxie, vite Antonij, Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini?

Non pigeat imitari quorū agones miraris & prædicas. Pares præmio qui lucta pares sunt, pares corona qui cursu & pugilatu pares, pares victoria qui pugna pares, pares exitu qui vita pares. Ne pigeat sudasse, vulnera tulisse, sanguinem fudisse. Indeficientia semina hæc sunt æternæ messis, nullo morituræ æno, nullo minuendæ. Tanquam

B 3

inter

inter immania saxa rapidi torren-  
tes, sic inter confragosa suspiria  
currere sudores, magna vos ma-  
nent premia. Athanasios, Cyril-  
los, Paullinos, Hieronymos, Hi-  
larios, Gregorios, Remigios, Mar-  
tinus, Anselmos cogitate. Tan-  
quam perruptis flumina aggeri-  
bus, aut indignantia claudi maria,  
proflue sanguis meus, totusque  
impatiens moræ, quasi diffractis  
quaquarepagulis, proflue venis.  
Magnos Cyprianos, Felices, Vita-  
les, Blasios, Fabianos, Stanislaos,  
Cantuarienses Thomas, Soteros,  
Caios, Sabinos, Cletos, Anicetos  
cogita. quo liberalior fluxus, eo  
liberalior premiatio est. non per-  
dis sanguinem, cum fundis, celo  
reponitur, quidquid hic Deo suo  
fluit. ibi reperies diuite seruato,  
certo reconditorio: tantum con-  
ditori tuo currat hic sudor, fluat  
sanguis.

Quid dubius hæres miles? du-  
cem sequere. prior ille iuit in ho-  
stem

stem; prior vltro nea vulnera excep-  
pit; prior sanguinem prodegit.  
quid parcis tuo? quantum parcis,  
tantum perdidisti: quantumque  
perdidisti, tantum seruasti. digna  
viro cogitatio, perdere vt serues.  
mentior, nisi ille præt exemplo,  
qui te condidit. perisses, nisi ille  
sanguinem suum prodegisset; pe-  
risses, si vitæ auarus sanguinem ser-  
uasset. profudisse, seruasse fuit.  
imitare. errare non potes illo du-  
ce. aliorsum si cogitationes flectit,  
parcens sanguini, peristi. nulla ad  
cælum via est extra illam, quam  
sanguine suo strauit libertatis tuæ  
vindex. imitare. modicus labor  
æterna dabit. felix commutatio  
momentanei cum æterno. potes  
hoc frui, si contemnis illud. fatu-  
us, si negligas. contemne. non po-  
tes falli, si conditori inhæres. fal-  
leris, si ab illius deflectis vestigiis,  
tantumque falleris, quantum defle-  
ctis. ne dubita. calcanda eadem se-  
mita est. nam si parianda gloria,



pariandus & sudor & sanguis est. Dissimiles agones dissimilia poscunt premia, disparia studia dispareres fortiuntur euentus, nec eadem corona à pugnantibus, aut eadem palma à diuerso venit certamine; nec ad vnum terminum contrariè ducunt viè.

Sin tibi blandiris de aliena via, errasti. Vbicunque non repereris magni Ducis tui vestigia sanguine signata, aberrasse te scias. Quid hères? sanguis sudorq̄ue te docebunt, què via ducat ad cœlum, Lata, plana, amœna est, floribus confita, fontibus irrigua, prospectibus varia? non est illa Angusta via est, tribulis & seminata saxis, ascensu ardua, sudore madida, sanguine purpurata quæ ducit ad cœlum, perfer, & obdura, angustias has non multo post excipient nullo fine terminandæ amœnitates, opes, delitiæ, honores, lætitiæ, voluptates, conditori tuo sociatæ. Laxitatem illam planam, lætabundam, momen-

momento post excipient gemitus  
& stridor dentium, & miseranda  
in ignibus demonum associatio.  
delige. delectus in manu tua est.  
non deerit ille qui sudore, vulne-  
re, sanguine viam strauit, tantum  
ne defleste ab hac via. Dura & a-  
spera est? intuere Ducem. Igna-  
nus miles est, qui defleat ab itine-  
re, aut ducem sequitur gemebun-  
dus. Hostibus circumfessa est? quid  
trepidas Duce praeunte? non nisi  
furca & fune dignus miles est, qui  
circumspectat effugij loca, & de-  
stituit, intrepidè praeuntem du-  
cem. Sanguine paranda? à colo &  
acu veniunt hæ voces. Sanguine  
vir accenditur, sanguine in spem  
victoriæ venit. Reliquus omnis la-  
bor de puluillo nascitur. Procul  
hæ cogitationes molles, mollem  
dominum lassantes. Ad magna te  
vocat qui te condidit, magna  
spondet, & ostentat magna. Ma-  
gnos animos gere, vocationi,  
sponsioni, præmio pares. Ad ma-

gna te inuitat magnus Deus, faci-  
 lis ad gloriam, coronas, trium-  
 phos. erigere ad magna. solo celo  
 reposita hæc magna sunt. ad hoc  
 cogitationes omnes flecte, vitam,  
 studia, mores, sudorem, sangui-  
 nem. facies, si cælum, si Deum co-  
 gitas, si repositas alteri vitæ opes,  
 voluptatem, gloriam, eo citius his  
 omnibus donandus, quo celerio-  
 re gradu decurris ad illa magna  
 sponfore & largitore Deo. quo  
 enim citatior cursus, eo vicinior  
 meta est. sed & quo plus eroga-  
 neris, eo liberaliorem senties Dei  
 manum. vnum erogasse, centum  
 vicisse est, imò millia parasse &  
 possedisse est. felix mutuatio tam  
 largâ usurariâ manu fœneranda,  
 fortunata donatio tam fœcundâ  
 remuneratione reponenda: pru-  
 dens elargitio quæ te nō post mul-  
 tum in possessionem ducet opum  
 æternarum, perennitati & Deo  
 commensurandarum. Nam quæ  
 hæc vita est, si æternæ cogitas? mo-  
 mentum

men  
 quic  
 pon  
 com  
 man  
 mir  
 uis  
 ann  
 que  
 trui  
 sui  
 nul  
 qui  
 cur  
 reli

I  
 nat  
 itce  
 cry  
 fau  
 ces  
 in h  
 dia  
 his  
 bus

mentum vnum, ac ne momentum  
quidem, si cum perennis com-  
ponatur. arenam vnam, Oceanum  
confer litoribus; guttam vnam  
mari quocunque se diffundit. &  
minor his humana vita, quantum-  
uis in centesimum ac millesimum  
annum porrecta. guttarum nam-  
que arenarumque spoliatione mi-  
nui res illæ possunt & ad ultimum  
sui deduci; at annorum numero  
nullo de immensitate sequentium  
quidquam detraxeris; quantum-  
cunque enim sustuleris, immensa  
reliquatio est.

In hanc ergo eternitatem cui  
natus es, mentem oculosque con-  
iice, in hanc cadant profuturae la-  
crymæ, ducanturque imo pectore  
fauista suspiria: eant in hanc pre-  
ces vota que nullo fine minuenda,  
in hanc cogitationes omnes, stu-  
dia, sudoresque fluant. nihil in  
his reperies quod mœrore, fleti-  
bus, aut pœnitentia eluendum sit.

Alio si cogitationes studiaque referas, aberrasti. Neque opus in hanc rem magnis documentis, non oratorio aut philosophico robore. res loquitur. nec quisquam adeo infans est, quin æterna perituris anteferat. omnes illa vouent, & intimis animis adprecantur. in medicorum delectu error est. & ad illa tamen natura nos pellit, ducit ratio, maiorum omnis retro æu exempla: Christusque vita & præceptis, etiam interminationibus interpositis, ad eadem nos ducit: multorumque in contrarium aberrantium diro & pœnitendo heu nimium exitu monemur. Quid haberemus dubij, aut ignorationem præteximus? causa nulla est. nec quisquam ignorare potest, neminem natum huic vitæ. Deo nati illi conditi sumus: illius obsequio iam inde à natiuitatis ianua mansipati.

Iam quis nesciat impossibile esse, Deo seruire & huic sæculo? volupta-

lupt  
dul  
frui  
Epu  
quid  
habe  
ta m  
Ea  
Ha  
A  
Etal  
vtru  
miru  
na in  
ram  
beat  
tam  
nio  
uen  
rare  
here  
ris.  
nita

luptatibus, opibus, gloriæ hic indulgere, & iisdem in posterum frui? nimis nobis clarè Lazari & Epulonis exempla, quid sperare, quid metuere debeamus; edicunt. habemus in hanc rem veteris Poëtæ monita.

*Ecquid agis? duplici in diuersum  
scinderis hamo?*

*Huncine an hunc sequeris? subeas  
alternus oportet*

*Ancipiti obsequio dominos, alter-  
nus oberres?*

Et alterutrū tibi deligendum, cum vtrumque negatum. paucorum nimirum hic annorum felicitas æterna infelicitate donanda, aut annorum non multorum labor æterna beatitudine præmiandus. alia si cogitamus, fallimur, & doloso lenocinio nos ipsos in fraudem noxio euentu impellimus. non potes errare Christi vestigiis & monitis inherendo. erras, ab his si deflexeris. Nunc quæ prudentia est, æternitate propositâ, beata vna & fe-

B 7      lice

lice & æternis associata gaudiis; misera altera & infelice & æternis ignibus comitata, periculis se exponere, quibus & illa frustreris, & ad hanc damneris poenitudine æterna?

Durum tibi fortè est carere his ridentibus & vltro blandientibus, magnaq; spondentibus vitæ commodis: & suaue erit ignibus arde- re, æternis? dulce, gaudiis exclu- di æternis? cogita deinde diuitis illius ipsonis incertam conse- quutionem, dum plerique in nec- dum animato culmo, in gramine, ac semine etiam cadunt priusquam optatis fruantur. cogita possessio- nis breuitatem, dum vix à supre- mo gutture libatis rapimur fistendi iudici, & æterna sententia ferien- di. maximè cum non magno ne- gotio excutere à te possis hæc mol- lia, melleamque hanc decipulam ad perennatura tormenta ducen- tem, ad ignes nullo sine restingu- endos, nullo mitigandos. fides in- uenta?

mentæ? præcipiti cursu fugit, ducit-  
que vnde nunquã cum semel ven-  
tum est, patuit reditus. noli te fa-  
tua spe conicere in locũ seræ pœ-  
nitentiæ. memor illius,

*Gravis animi pœna est quem post  
factum pœnitet,*

Maximè si irreuocabilis euentus  
est, qualem videmus in æternitatis  
delectu. semel adiudicatus igni-  
bus, semper es. nulla enim ex his  
remeandi ratio, nulla eludendi est.

Fors saniora amplectêris senex  
& falci iam matutus funeriq; pro-  
pior. non meministi illud Poëtæ:

*Nemo iam Diuos habuit fauente  
Crastinum vt posset sibi polliceri.*

*Res Deus nostras celeri citatas  
Turbine versat.*

Et alterius?

*Quis scit, an adijciant hodiernæ  
crastina summa*

*Tempora Dî superi?*

Quis, an horam vnã?

*Prudens futuri temporis exitum*

*Caliginosa nocte premit Deus,*

*ridet.*



ridetque si mortalis vel momentum sibi spondeat. labimur miser, fluminis instar, nec cuiquam fida statio est, momentumque momento premitur, omneque miseris pro lethali est.

*Ille potens sui*

*Latusque degit, cui licet in in diem*

*Dixisse, Vixi: cras vel atra*

*Nube polum pater occupato,*

*Vel sole puro.*

tibi Deus vixi, caeloque cui me condidisti.

Et ut quam maximè securi simus de vita longiore, nonne

*Rarum est felix idemque senex?*

ita rarissimum est post insolentem iuventam, improbosque mores, post opes, dignitates, deliciasque, tutiora senem sequi. maximè cum hæc morum emendatio à solo Deo pendeat, quem in iuventute neglexisse, in senectute spreuisse est.

Lusit Poëta in non dissimili re,

*Elleborum frustra, cum iam cutis  
agra tumebit,*

*Posceat.*

*Poscentes videas. venienti occurrere morbo.*

antè nimirum prudenti præcautione medicamina perennaturæ valetudini paranda. sin differimus in prouexam ætatem, ferè immediabile malum est, quod omnem fugit quantumuis doctam medicam manum. nam qui cum ætate inualuerunt morbi, plurimum non nisi cum morte ponuntur. nimis altè annosa hæ radices terram occuparunt, quàm vt vomere aut ligonibus proscindantur. ignibus opus est, valentissimis scilicet remediis, qualia legimus in Saulo, Magdalena, Zaccho, Latrone. at quis hæ nobis polliceatur, & in paucorum horum numero statuet, tot millibus pereuntibus, vanaque sequuntur emendationis spe in omne æuum delusis. temerarius ille est, & fatuo proximus, qui paucorum exempla sequutus, non sueta hominibus tentat ire via; seque animamque fortuito euentui comittens

tens

tens de æternitate tanquam de du-  
pondio ludit. ac quasi ab vno alex  
iacu, stolidissimo ausu, æternatur  
ra appendit. quanti perierunt ina-  
ni hac spe fulti? quot millia rapuit  
fouetque æternus ignis, in sensum  
emendationem castosque mores  
seruantia?

*Ex vitio alterius sapiens emen-  
dat suum.*

**Felix** cui hoc concessum, qui que  
sæpè illud voluit secum,

*Bonum est fugienda aspicere alieno  
in malo;*

vt miserum est aliis fugienda in  
se exempla dare. doceant nos  
alij infelici procrastinatione, do-  
ceamus nos alios tempestiua  
morum in melius commutatio-  
ne.

Quid si extremi omnes plebe-  
iorum, vltimi que trahariorum,  
regna

regna cogitent & imperia? non  
inclames, Erratis miseri, paren-  
dum Deo vocanti, sua quæque  
fors quemque manet. non sumus  
omnes imperiis nati: pauci à Deo  
ad scepra & diademata parantur.  
nam si omnes imperabunt, quis  
obsequetur? similibus animum  
instrue & obfirma. Nam vt per  
pauci à Deo ad imperia delecti,  
ita fors rariores etiam ætate iam  
denexa ad meliora transferunt.

Quare dum per annos viresque  
licet, in Dei obsequium, cui soli  
conditus es, totus concede; illi  
iuuentutem nobilissimam partem  
tui sacra dicaque, æterno non  
multo post donandus regno cui  
natus es, æterna decorandus co-  
rona: quæ, nisi aliorsum desse-  
xeris ab hac semita, hereditario  
iure tua est, emptitio & vindica-  
titio iure tua, sanguine nimi-  
rum vnigeniti Dei Filij parata:  
tantum

tantum non indignum te redde  
 cui hic sanguis fluxit, cui hoc gra-  
 tuitum pretium depensum est, cui  
 beata felicitas ab omni ævo depu-  
 tata est. consequeris hoc assidua  
 meditatione vitæ futuræ, Dei que,  
 qui te sibi creauit, & sibi soli, me-  
 mor in quacunq; re proposita, Dei  
 te esse; illi te conditum nec alteri.  
 quidquid proinde ad illum non  
 ducit, quidquid abducit, ad interitum  
 ducere, & interitum æternum  
 cogita æternum, & non magno  
 molimine abduces te à perituris.  
 premunt hæc momentanea, & ad  
 se alliciunt opes, honores, gaudia  
 obice æterna, clypeum illis iacu-  
 lis, propugnaculum arietibus. &  
 ubicumque te illecebræ comitan-  
 tur, premitque vestigia noxiis hic  
 scorpius, oppone æterna; siue illa  
 felicia, siue infelicia sint, vinces ad-  
 uersarias acies, nocitura toxica  
 nullum antidotum illis venenis me-  
 dicandis, extinguendis potentius  
 nulla te agmina, ne metue, lædent  
 æter

si aternitas in fronte est: ferrum-  
que omne euolabit innoxium vir-  
gine lapsu, si aternitas, perpetuo  
fidoque comitatu, claudat latus.  
beata cogitatio, quæ te conditori  
reddet, & cælo cui natus. Beata,  
quæ te flammis eripiet, & flammis  
aternum vrentibus, seuiantibus.  
Hæc meditare, & viues, viuesque  
æterna felix gloria, Sanctis Deoque  
æternum sociatus.

C A P V T II.

PECCATA. quorum magnitudi-  
nem, seuitiam, improbum domina-  
tum, non multarum horarum lectio  
docebit. Videbis nihil omni æuo  
impunitum vindicem Dei dexte-  
ram transisse. quæ etiam in cogita-  
ta, pura licet manu, immensum sa-  
nit. exempla id olim docent. Hoc  
graue. momentaneum peccatum ef-  
se, æternam pœnam. auolat illud  
quavis ocuis alite, vento, iaculo.  
manent tormenta nullo æuo ponen-  
da

da